

II. *Quod omnium radiorum non sit eadem refrangibilitas.*

DE luce itaque compertum habeo, quod radii ejus, quoad quantitatem refractionis, ab invicem differant. Ex iis, qui omnes habent eundem angulum incidentiæ, alii angulum refractionis aliquanto majorem, alii minorem habebunt. Plenioris illustrationis gratiâ, sit EFG (fig. 1.) superficies quælibet refringens puta vitrea, & ducatur quævis OF huic occurrens in F, & cum eâ efficiens angulum OFE acutum. Concipe etiam radios solares per istam lineam OF sibi continuo successivos fluere, ita ut alii post alios in punctum F impingant, ibidemque in medium densius refringantur; vel si mavis, finge parallelos radios indefinite parum distare ab OF, & incidere in puncta ipsi F vicinißima. Jam ex opinione receptâ, hi radii eandem habentes incidentiam eandem quoque refractionem omnes habere debent, puta in lineam FR. At contrarium compertum habeo, scilicet, quod postquam refringuntur, divergant ab invicem, quasi quidam refringerentur in lineam FP, alii in lineam FQ, & alii in lineas FR, FS, & FT, ac alii etiam innumeri per spatia intermedia, ut & ultra citraque nonnulli pervagantes, prout radius quilibet ad refractionem majorem  
mi-